



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

SS. Petrus & Paulus. 29. Iunii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

te exacto, ad Basilidem revisit, eique coronam civicam velut servatori suo imposuit. Ille ex donativo benevolentiam Numinis æstimans, statuit integrum stipendium mereri, & confestim auctoratus Christo, fidem illi abscisso capite probavit. I, dic magno constare cælum quantum dedit Basilides, ut ex lictore Martyr fieret? *Ex Euseb. Hist. Eccl. lib. 6. cap. 4.*

Sanctorum Martyrum esto discipulus: Hi ardentem rogam virtute Dei & fide vicerunt: vince igitur & tu ardentem concupiscentia flammam. Cruciatu superarunt, spe, qua est in Christo, subnixi; tu quoque turpes passiones pudicitia & cogitatione pietatis superare contende. S. Ephr. de Laudib. SS. MM.

SS. PETRVS & PAVLVS. 29. Iunii.

Rectius hodie Roma, misso cum Remo Romulo, conditores suos PETRVM & PAVLVM salutat, quando huic melioris orbis imperium capite suo pepererunt. Et PETRVS quidem, qui pro CHRISTO in terris rem Christianam administravit, quæ ad ignem peccaverat, semper oculorum imbre plectens, cum captus, & in vincula datus ab Herode, ab Angelo exemptus esset, morbos passim omnes vel umbrâ suâ fugasset; demum orbem in Vrbe adortus, CHRISTI, signa primus Romæ intulit. Hic ubi præstigiatores Simonem in cælos (ut ipse quidem ajebat) volentem humi dedit præcipitem, Neronis furori cedens, CHRISTVM obvium habuit, qui rogatus quò iret, Romam ire se ad alteram crucem respondit. Implevit vaticinium CHRISTI continuò PETRVS; sed ut Magistro honorem cederet, inverso corpore tolli in crucem voluit, quò capite terris hoc pedibus cæ-

lo jam propior. jam PAVLVVS ille cæli etiam ante fata civis, ille nominis IESV per omnem urbem præco, post edita miracula, & literarum oracula quàm plurima, hoc ipso die PETRO triumphanti collega additus, securi percussus est. Caput sanguinis loco primò lac, deinde tergeminos fontes totidem saltibus dedit, oleum interim effusum, IESV nomen clamando immiscens. Agnosceres tam pretiosis liquoribus refertum Electoris Vas esse. *Ex Hist. Eccl.*

Pro nobis facit Apostolorum vita, & doctrina, & mors ipsa. Etenim in conversatione continentiam, in predicatione sapientiam, in passione suâ patientiam nobis contulerunt. S. Bern. serm. 3. de SS. Apof. Petro & Paulo.

S. ERENDRVDIS ABBATISSA. 30. Iunij.

ERAT ERENDRVDIS D. Ruperti Noricorum Apostoli neptis, non tam sanguine huic, quàm virtute propinqua. Itaque magisterium in Deo devotas virgines jam tunc, cùm in Galliâ adhuc ageret, exercuit. Sed uti Rupertum virorum, ita ERENDRVDEM mulierum nec minùs potens invidia cedere è Galliâ coëgit. Itaque inter auxiliares copias, quas fidei bono in Boicas terras induxit Rupertus, etiam hanc numeravit, & ex ædificato ad Iuvaviam Deiparæ honori Parthenone, illic collocavit virginem, matremque aliarum virginum voluit esse; quod officium illa sic implevit, ut non harum modò, sed pauperum omnium mater audiret, quibus tectum victumq; nunquam non præbuit. Pedes etiam eorum lavare, ulceraq; velut gemmas gaudens tractare. Ipsa mensæ accumbens, ~~non~~ tam corpus cibo, quàm animum piis de Deo collo-